



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. IV. Datur Iosepho cum puero Iesv Iudendi facultas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

conuertere, & sanare; vt cum charitate hunc puerum nostrum possis inspice-
re, & dicere cum his, qui tantum prin-
cipium cum gaudio admiratur: Quis
putas puer iste erit? in quo non dubiè
manus Domini operatur.

CAPVT IV.

*Datur IOSEPHO cum puero IESU
ludendi facultas.*

VBERIORI gaudio Mater gaudij
tantum gaudium multiplicare
dignata est, crebrioribus de cetero &
manifestioribus reuelationibus suo se
puero manifestans. Cùm igitur die
quadam, (sicut consueuerat,) se cum
ludentibus non commiscens, puerulus
Monasterium introiisset, vidit iuxta
pulpitum, quod in medio Ecclesiæ si-
tum est, in eminenti quadam via, in
specie viuentis virginis, beatam Vir-
ginem, virginum Reginam, & cum
ea custodem ipsius Virginis, Ioannem
Euan-

Euangelistam; & coram Matre puerum IESVM, se cum Ioanne quasi quibusdam puerilibus lusibus exercentem. Et dum staret puer noster, mentem & oculos in eos cum delectabili admiratione & admirabili delectatione defigens, vocauit eum nutu manus & voce Mater benigna, puerum proprio nomine familiariter sic appellans: HERMANNE, adscēde ad nos. At puer, Quomodo, inquit, adscendere potero, cū Chorus sit clausus, & scalam, per quam adscendam, non habeam? Cui beata Mater; Tenta, ait, si quo modo possis: quia te iuuabo, porrigens tibi manum. Paruit puer: & dum non præualeret; benigna Mater manum sibi porrigente, adscendit ad illos. Solebat autem familiaribus hoc narrare, quòd dum niteretur adscendere, clauus unius ferrei, qui ad munimentum Chori affixus erat, sensibilem quidem, sed non visibilem, iuxta locum cordis, fixuram accepit: quam etiam

*Testantur
hac sancti
pueri mi-
randam
puritatem
& inno-
centiam.*

etiam multis postea temporibus cum dolore portauit: dixitque, fixuram illam fuisse praesagium multarum tribulationum & dolorum, quos postea tamquam crucem suam quotidie usque in finem vitae suae portauit. Semper enim, (sicut postea referam, Domino adiuuante) cum profecisset in virum, tribulationibus corporis vel doloribus cordis, vir mirae innocentiae vexabatur. Cum vero in pulpitum, adiutorio beatae Matris, superius ascendisset; ipsa monente, puero nostro cum puero IESU data est ludendi facultas: beata Matre sedente, & ludos pueriles familiariter inspectante. Et cum in tam mirabili delectatione aliqua pars diei transacta fuisset; appropinquante Officio vespertino, puer, eam, quam iuuante & iubente adscenderat, etiam tunc ministrante, descendit, eandem consolationem eodem in loco saepius accepturus.

CA-